



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

ANNO
CHRISTI
433

procreatus, & facultatibus diues, hic nutritus fuerat quasi in domo Bassi exconsulis. Litigium ergo inter seruum Bassi & Epiphanium hoc euentu nascitur. Hic venit ad Sixtum episcopum, & cœpit rogare eum, vt ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. Veniens autem Sixtus episcopus vrbis Romanæ ad Bassum, cœpit rogare eum de ingenuitatis munimento. Tum iratus Bassus, respondit ad Sixtum episcopum: Nemo iudicabit dominum ex consilio serui. Nam & misit, & vniuersa prædia eius occupauit.

CAP. III.

Exiens autem & Sixtus episcopus, venit ad Valentinianum Augustum, & cœpit rogare eum de ingenuitate Epiphanii, tantum vt chirographo Augusti munitus, per ecclesiam vindicaretur. Et cœpit studiose (sicut decet ecclesiam semper) subleuare grauatos. Iratus autem Marinianus de his quæ supradicta sunt, venit ad Bassum, dicens quasi de malitia Sixti episcopi, & quod per Petrum seruum episcopi Sixti audierat, eo quod consecratam Chryfogonitem stuprasset.

CAP. IV.

Consilio inito, cœperunt ambo accusare eum Augusto Valentiniano, ita vt accenderentur Augustus & mater eius furore. Et suspenderunt se abinuicem a communionem. Sixtus autem episcopus vrbis Romæ, sciens omnia quæ de eo apud Augustum delata fuerant, & quod ab eius communionem multus populus se segregaret, venit in basilicam beati Petri apostoli, & fecit quasi supra scriptum verbum, & per Leonem diaconum populo enarrabat, dicens: Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis vrba plebs clamare, vt dicta eius Augustus & clerus vrbis Romæ probarent examine.

CAP. V.

Hoc audito, Valentinianus Augustus dixit: Pia petitio. Et iussit fieri secundum dicta. Et congregauit vniuersum senatum vrbis Romæ. Et Sixtus episcopus congregauit presbyteros vrbis Romæ, & clerum, nec non & monasteria seruorum Dei. Et sederunt in vno confessu in basilica Heleniana, quæ dicitur sessorium. Et cœpit studio-

se clamans dicere ad Augustum : intrent qui separauerunt filium a matre ecclesia, * vt corroborent vniuersa ^{* al. &} velamina cordis mei. Augustus autem Valentinianus tacebat. Respondit Leo diaconus, & dixit: Iusta petitio non abscondatur. Erant enim ibi patricii exconfules isti, Paterius exconsul, Anatolius exconsul, ipse Bassus exconsul, & Marinianus patricius, Albinus patricius, Sigisbuldus patricius, Honoratus patricius, & praefectus vrbis Euthymius, expraefectus vrbis Valerius patricius, Claudius patricius, Fonteius expraefectus. Et aduocati isti, Quintus, Deuterius, Alexander, Heliocarus. Presbyteri autem vrbis Romae omnes 48. Diacones 5. Introiuit enim Epiphanius presbyter, & dixit cum lacrymis: Fiat probatio, vt ecclesia non maculetur. Respondit Maximus exconsul, & dixit: Non licet aduersus pontificem dare sententiam. Respondit Sixtus, & dixit: Quamquam in meo arbitrio sit, iudicer, an non iudicer, tamen meo iudicio non abscondatur veritas. Respondit Augustus Valentinianus, & dixit ad Bassum: confitere publice vniuersas intimationes tuas, quoniam si non probaueris, eris obnoxius ecclesiae & pontifici. Nam & damnatio tibi commanet. Et iterum Augustus dixit ad Maximum: Parens Maxime, iusta fuit postulatio tua. Leuauit se Augustus, & dedit in arbitrio Sixti episcopi, vt iudicaret iudicium suum. Et discesserunt cum Augusto omnes. Et erat sicut in pristinum munita ecclesia, ita vt cum gaudio & ioco discederet Valentinianus Augustus a Sixto episcopo, insultans Mariniano & Basso.

CAP. VI.

Alia autem die fecit colligi omnes presbyteros vrbis Romae, & sedit in eodem loco, vbi consistebat Augustus. Et fecit commune Concilium, & damnauit Bassum, & Marinianum, ita vt communionem ambos simul ^{* priuaret.} subleuaret. Et misit auctoritatis munimen per vniuersos episcopos. Audiendo hoc Bassus & Marinianus, coepit Bassus grauius ferre, Marinianus deridere, ita vt Bassus praedia sua, quae per omnes annos vitae suae, omnia ecclesiae derelinqueret, vt ad communionem reuerteretur, & non subleuaretur. Nam Marinianus ore proprio clamabat dicēs: